

ditio in exercitiis Romanis, vna inter Pannonicas, altera inter Germanicas legiones coorta est. Illa Drusi, hæc longè violentior, & periculosior Germanici sapientia compressa est. Post quæ Germanicus ingenti clade Germanos affecit, vsus in eo bello singulari opera A. Cæcinnæ legati. Hoc anno Julia Augusti filia olim ob adulterium à patre relegata moritur: eiusq; adulter Sempronius Gracchus, eadem ob causam relegatus, iussu Tiberij, interficitur. Augustales & sacerdotes, & ludium primùm instituti sunt, & editi. Sequenti anno, C. C. s. Druso Cæsare, & C. Norbano, triumphus Germanico decretus. Is Chattos improvisò adortus magnam eorum stragem edidit. Segestem, ob egregiam erga Romanos fidem, à popularibus obsessum liberat, inque suam potestatem redigit vxorem Arminij filiam Segestis: cui oranti Germanicus, data incolumitate, veterem sedem in prouincia pollicetur. Interim Arminius conicitis ad arma Cheruscis, aliisque gētibus, & Inguiomero patruo, contra Romanos magnum bellum parat. aduersus quem cum Germanicus exercitum ductàs eò peruenisset, vbi Varus ab eo cum tribus legionibus cæsus fuerat, & imperatori, & militibus, quorū adhuc reliquæ iacebāt insepultæ, suprema soluit. Inde cum Arminio æquis manibus pugnat. At A. Cæcinnæ, cui Germanicus quadraginta cohortes distrahendo hosti dederat, hostium vi, iniquitate locorum, rerumque omnium inopia diu conflictatus, tandem magna ex Germanis parta victoria, incolumis euasit. Neque verò prætereunda est animi magnitudo Agrippinæ, quæ, in magna trepidatione, cum pontem Rheno impositum solui prohibuisset, & benignè militibus multa fecisset, rem Romanam sustentauit. Cæterum secunda, & quartadecima legiones, quas Germanicus P. Vitellio, itinere terrestri ducendas tradiderat, sæuitia Aquilonis, & fluctuum vi miserè conflictatæ, tandem in editiora subductæ, periculoque exemptæ sunt. Segimerus frater Segestis, ipsiusque filius in deditiōnem accipiuntur. Eo anno triumphalia insignia decernuntur A. Cæcinnæ, L. Apronio, C. Silio, ob res cum Germanico gestas. Tiberius repudiat nomen patris patriæ, neque in acta sua iurari permittit. legem tamen maiestatis reducit. Falanium & Rubrium Equites Ro. leuibus de causis maiestatis accusatos pœnæ eximit. Marcellus item maiestatis postulatus opera Cn. Pisonis absoluitur. Tibris plana urbis stagnauit. Achaïæ, & Macedonia onera deprecantibus Tiberius subuenit. Actum apud patres de histriōnum licentia, ex qua turbæ natæ erant, coercenda: sed valuit verbum Augusti, qui immunes verberum histriōnes quondam responderat. Templum struitur Augusto in prouincia Tarraconensi; datumque in omnes prouincias exemplum.

A. V. C.
D. CCLXIX.